et quomodo aliquociens quasi ab indignatione incipientes inuenimur decidere in furorem.

Furoris quidem proprium incitatio est animae mala meditantis ad ulciscendum eum qui se concitat et inritat. Indignationis uero proprium est peccantem corripere eo affectu ut proposito quo auertimur a peccatis, et quod displicet nobis quod recte gestum est. Quod autem a bono initio incipiens anima decidit in malum, nichil mirum est. Multa enim inuenis huiusmodi, propter quod meminisse oportet sanctae scripturae dicentis: Iuxta semitam scandalum posuerunt mihi. Et iterum: Nisi enim quis legitime certauerit, non coronatur. Et ideo in omnibus obseruanda est rerum mensura et temporis et ordo, quia ex aliqua horum causa accidit, ut quod uidetur bonum id inueniatur malum.

Ex quibus fructibus probari debet is qui ex affectu arguit fratrem peccantem.

Primo omnium ex eo quod praecipuum sic in animam rem gerit, et est in eo illud quod dicit apostolus: quia si patitur unum membrum compatiuntur omnia membra, ut illud: quis scandalizatur et ego non uror? Tum deinde si non in omni peccato similiter affligitur et contristatur erga omnes qui peccant, ut si in se delinquat aliquis ut in alium similiter contristatur et luget. Et si arguens obseruat illam regulam quam dominus posuit, id est ut inter te et ipsum solum, ut in alio uno aut duobus adhibitis. Super omnia autem si obseruat quod dixit apostolus cum omni patientia.

Si oportet qui ingrediuntur ad fratres statim artificia discere.